



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

SS. Primus & Felicianus. MM. 9. Junii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

3. Deum ridet, quisquis tantum ipsi vita sua finem reservat, reliquias nimurum mundi, Dæmonis, & voluptatum: Egregiis scilicet verbis munus suum ornat, qui dicit: ubi me cœperit voluptatum satietas, nec per ætatem potero ijs indulgere, tunc temporis me Deo tradam: Nunc nunc studendum vita meliori. Quandiu? quamdiu? cras, & cras, quare non modi? quare non hæc horæ finis turpitudinis mia? Augustin,

---

## SS. PRIMUS & FELICIANUS. MM.

9. Junii.

*Timete cum qui postquam occiderit,  
habet potestatem mittere in gehen-  
nam. Luc. 12.*

PRIMUS & FELICIANUS cum Jove & Hercule falsis Dijs, Diocletiano & Maximino crudelissimis Imperatoribus decertarunt solè adversus illos pietate, adversus hos patientiâ armati: cuius ut insignia documenta darent, Angelorum beneficio, viam sibi ad fugam aperientium, noluerunt uti. Bellaria tamen, quæ acerrimè verberatis allata cœlo sunt, libarunt, ne viribus succumbentibus, levioribus, quam vellent,

\*o] 413. o]\*

supplicijs defungentur. FELICIANUS,  
octogenario major, cæstus & suffixas un-  
guibus subulas, vultu immoto tulit a  
mentiente nihilominus, ut Primo fucus fi-  
eret, Præside, Felicianum tormentis cessis-  
se, stultâ impudentiâ: cum Angeli nihil eo-  
rum, quæ acta fuerant, Primum ignorare  
paterentur. Ergo is quoque faces ardentes  
suo sanguine extinxit; liquatum plumbum  
(tanta erat patiendi sitis) velut fontanam  
bibit. Leones & ursi cum illis compositi,  
nec animorum, nec corporum vim immi-  
nuerunt. Etiam securi cæfos muscas canesq;  
non ausi sunt contingere; tanta est virtutis  
etiam apud animantes estimatio. Utinam  
homines, qui soli tanti capaces boni sunt,  
& præmia noverunt, suis hæc animi decora  
momentis expenderent! Sed eheu! quam  
vili venditur innocentia! Ex Surio.

### M E D I T A T I O

#### *De triplici metu salutari.*

I. IN mundiali arena profani Martis timere le-  
porum est. In palestrâ Christi summæ forti-  
tudinis & victoriæ argumentum est, sanctè timere:  
ille PRIMUS erit in pugnâ. & verè FELICIANUS  
in obtinendâ victoriâ, quem sanctus timor legitimi-  
mè certare docuerit. Igitur sapientia timer Domi-

*ni in pugile Christiano.* Deum time quod omnia pos-  
sit, videat, judicet, & immisericorditer puniat. *Ei*  
*timor iste fundamentum erit salutis tuae.* Tertul. Quis  
enim miles coram duce suo prævaricari auderet  
mandatum ejus?

2. Infernum time, nec magnificientius dicas, o-  
perari te amore, non timore, & timorem ejusmo-  
di in sceleratos duntaxat cadere; Sancti enim co-  
dem stimulo excitati, in viâ virtutis cucurserunt,  
nuntium remiserunt mundo, & ad desertas solitu-  
dines confugerunt. O potens gehennæ timor! eo  
si plures percellerentur, plures utique adscriberen-  
tur cœlis. Quantumvis in præsentia sis bonus, pes-  
simus fieri potes: time, donec ad cœlestem secu-  
ritatem perveneris.

3. Time peccatum, quo Dei amorem in te ex-  
tinguis, & accendis furorem. Sancti bonorum &  
vitæ privationem, ipsumque infernum leviori pec-  
cato anteposuerunt; peccatum quippe vel mini-  
mum, cum infinitam Dei majestatem lœdat, malum  
gravius est, quam omnia supplicia. Itane sentis?  
*Convertatur ad Deum timor tuus, quia perversus est*  
*omnis timor, quo metuimus aliquid præter eum.* Bern.

## S. O L I V A Virgo & Mart.

10. Juuii.

*Omnis arbor bona fructus bonos*  
facit,